Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

se castraverit pro regno dei et adulterium implendum credens. Hic est Origenes qui a Severi diebus usque ad Galli sedicionem tempora durans multa de divinis scripturis utilia composuit, sed nimium humanis viribus confidendo ac mundanis rationibus incaute innitendo labori et religioni sue omnimode hesitationem induxit, bene dicta erroribus ut quidam asserunt permiscens. Unde de ipso hoc dicitur: ubi bene nemo melius, ubi male nemo deterius. Severus Iuliano Fescennioque interfectis adversus Albinum Iuliani socium in Gallis bellum machinantem exercitum parat. Quod cum multo utriusque partis sanguine occiso demum apud Lugdunum Albino terminatur. Post hec Brittannis bellum indicit. Quos cum magna difficultate subiugasset, partem insule vallo cinxit. XXVIIII.

Severus Antoninus apud Eburacum oppidum XV. imperii sui anno diem ultimum clausit. Cui Aurelius Abassianus qui et Caricalla XXVIII ab augusto successit anno ab incarnatione domini CCXIII. Victore mortuo Zepherinus successit. Caracalla vero patre asperior libidineque intemperantissimus fuit, ut potest quia et novercam suam in uxorem duxit. Is dum contra Parthos bellum molitur, inter Edissam et Carras ab hostibus interficitur. Quo mortuo Macer oppilius seu Macrinus prefectus pretorio XXVIIII ab augusto regnum invasit, primoque imperii sui anno militari tumultu VITA PRIVATUR. XXX

Anno ab incarnatione domini CCXXI. Marcus Aurelius sacerdos Eligabali templi XXX ab augusto imperium sortitur. Hic flagiciosam vitam duxisse fertur. Huius diebus Zepherino mortuo Kalixtus Romanam ecclesiam gubernandam suscepit. Aurelius IIII imperii sui anno a tumultu militari cum matre SUA NECATUR. XXXI.

Anno ab incarnatione domini CCXXV. Aurelius Alexander XXXI ab augusto voluntate omnium imperator creatur. Hic ex christiana muliere Mamea natus iuste rem publicam gubernavit, Xerxemque regem Persarum maximo bello vicit. Ulpiano ex consilio rei publice moderatissimum se exhibuit. Passi tamen sunt sub eo Gordianus et Epymachus, Palmatius quoque consul cum uxore et filiis et aliis promiscui sexus XL II. Simplicius etiam senator, quem Kalixtus papa baptizaverat, cum multis aliis passus est. Huius diebus Kalixto Rome successit Urbanus. Urbano modicum durante Pontianus Romanam ecclesiam gubernandam suscepit. Alexander XIII imperii sui anno tumultu militari apud Mogontiam OCCIDITUR. XXXII.

Anno ab incarnatione domini CCXXXVIII. Iulius Maximinus seu Maximianus natione Trax XXXII ab augusto sine voluntate senatus ab exercitu, eo quod bellum in Germania prospere gesserat, rex creatur. Hic propter odium predecessoris sui Alexandri ex christiana matre nati vi anerone civitatem dei persequitur. His diebus fervente tribulatione persecutionis Origenes